



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinæ, 1603

Vita S. Eliphii Martyris: Ex ea quæ est per Rupertum Abbatem Tuitiensem.
Quo tempore floruerit ex actis constat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42787

Vide Tom.

A. C. Baron.

et Notat. in

Martyrol.

Roman.

16. Octob.

Egores et

Sogores Eli

phij.

Observanda
sunt duo, de
Iuliano, cum
esset in Gal-
lijs, tēpora,
prius cum
se Christianū
professus,
Catholicis
aduersus A-
rianos faue-
bat: posterius
autem, cum
hypocritam
exiens, Im-
perator tunc
acclamatus,
Gentilium
deos colere
cepit.
Eliphij cō-
prehenditur,
et in carce-
rē mittitur.

VITA S. ELIPHII MARTYRIS: Ex
ea qua est per Rupertum Abbatem Tuitiensem.
Quo tempore floruerit ex actis constat.

EA tempestate, qua impius apostata Iu-
lianus Romanum turbauit Imperium;
Eliphijus vir secundum seculi dignita-
tem gloriosus, & secundum Christianam fide-
dem clarissimus, in vrbe Tullensi, qua ciui-
tas est Galliarum, sanctitatis operibus cum
fratre suo Euchario, & tribus sororibus, Men-
nia, Libaria atque Susanna egregiè florebat.
Cum verò Iulianus ab exercitu Imperator ac-
clamatus, tectum diu, simulata pietatis spe-
cie, venenum denudare, palamque Gentilium
deos, in Iummam Summi Dei & Christi Iesu
iniuriam, & Christiani nominis contumeliā,
colere inciperet; ingentē in Ecclesia tempesta-
tem excitauit; qua Petri nauiculam breui vno
impetu mergendā sperabat. Itaque cū antea do-
mesticus fidei hostis, callidè insidias struxisset,
multosque fraudulentis blanditijs à Christi cō-
fessione auellere tentasset, tunc apertū pietati
indixit bellū; cunctosque Christianæ fidei pro-
fessores flāma ferroque persequutus est. Igitur
in tanto spiritu procellæ, tantisque fluctibus,
cōprehensus à perfidis Iudæis paganis coniun-
ctis, Eliphijus, in tetrum ilicò ergastulum, vbi
alij triginta tres Christiani pro fidei constan-
tia vincti tenebantur, coniectus est. Sed nocte
carcere diuina prouidentia patefacto, ipse vno
cum tribus illis & triginta elapsus, Tullensē
ingressus est urbem: vbi defunctæ suæ genetri-
ci, pio, quo debuit, affectu, extremū sepultura
imper-

impedit honorem. Expleto verò hoc debita pietatis obsequio rursus athleta Christi, non solum à Iudæis atque militibus paganis, verum etiam à viris principibus quærebat, ut aut impietati consentiret, aut non consentiens mortem subiret. Ipse verò nequaquam mortis pro Christo subeunda timore perculsus, sed martyrij desiderio incensus, Grandem, ciuitatem, ubi tunc Iulianus fuisse memoratur, intravit: & multis ibidè infirmis multa & egregia beneficia præstitit. Duobus autem post diebus inde discedens, transmissis fluuiis Vera, offendit impios executores dæmonum thecas colentes, & Iudæos pariter eidem sceleri affines, pari impietate confluentes.

*Iulianus A-
postata, odio
Christi, Iu-
dæos etiam
fouebat.*

*Grandis, ci-
uitas in Gal-
lia.*

*Ibidem opo-
ratur mira-
cula S. Eli-
phii.*

Non potuit Eliphiius Christi amore totus accensus tantam sceleris impietate equo animo ferre, quin acriter in utramque gentem verbo veritatis inueheretur: & vnum eis Deum Christum Iesum cæli terræque conditorem & humani generis Redemptorem prædicaret. Effecitque ut sexcenti ferè & viginti viri, exceptis mulieribus, execrabili deorum inanium cultu repudiato, Christo sua nomina darèt, & salutare lauacrum pie susciperent. Nunciantur autem hæc impijssimo Iuliano, qui impotenti iræ dominatu victus, nec diutius belluinum animum in cauea illa simulationis continere valens, capitalem eum sententiam subire præcepit, dicens: Flexis in terram genibus, extende cervicem, & fulminatis gladij mortiferam suscipe plagam. Tunc martyr paululum induciarum, ad offerendam Deo orationem, sibi dari flagitavit. Quibus impetratis, prostratus in terram,

*Conuertit
multos ab
errore ad
Christum.*

*Damnatus
capite.*

*Orat pro suis
interfectari-
bus.*

Q 4

eleua-

eleuata voce Christum quoque pro suis inter-
fectoꝝ orauit, vt tetra peccatoꝝ caligi-
ne immersis indulgentiã, & cum sanctis omni-
bus in cęlesti regno portionẽ tribueret. Cumq;
fideles, qui aderãt, respondissent, Amẽ: surgens
ab oratione, & stãs in medio multitudinis Ro-
go, inquit, ad Cęsarẽ, vt interfecto corpulculo
locũ mihi sepulcri cõcedas. Illo respondente,
Cõcedo quemcunq; locum legeris: Attollens
Christi martyr oculos, & circumspiciẽs, vidit
à longẽ montẽ excelsum, & ad Iulianum re-
spiciens, En, inquit, Cęsar montẽ cernis ipsum
in quo, volente Christo, sepulturam habiturus
sum. Cum interim ad multitudinem cõuersus
fidelium, pro re & tempore loqueretur, adhuc
quasi patiens expectabat tyrannus; nimirum
ad deuorandam animam potiùs, quam ad oc-
cidendum corpus inhiante diabolo, qui per il-
lum operabatur. Deniq; cum iã ille testis Chri-
sti fidelissimus, cum Apostolo diceret aut reue-
ra dicere posset: Cupio dissolui & esse cũ Chri-
sto; itemq; illud; Bonum certamen certavi, cur-
sum cõsummaui, fidẽ seruaui: reposita est mihi
corona iustitię; Iulianus ad blãditias sese cal-
lidẽ inclinans, Accipe, inquit, dignitates, acci-
pe honores, accipe aurum & argentum, & om-
nia bona posside, quę nobis preciosa sunt, & es-
to amicus noster in eadẽ sentẽtia, in eodẽ sen-
su. Vir sanctus autẽ memor istius ostẽsionis, qui
tentator diabolus Domino nostro regna mũdi
& gloriã eorum ostendens, dixit, Hęc omnia da-
bo tibi, si cadẽs adoraueris me, dixit ad eũ: Cę-
sar, à diabolo seduct⁹ es, & veritatis inquisito-
res Christianos seducere festinas. Pecunia tua
& quę

Philip. 1.

2. Tim. 4.

*Blanditur ei
Iulianus.*

Matth. 4.

& quæcunq̄ue promittis, tecū sint in perditionem: Ided enim terrena promittis, vt cælestia tollas. His dictis, in vocem exultationis & confessionis erumpēs aduersus impietatem paganicam, Iudaicam, atque hæreticam, quæ videlicet impietas velut Cerberus, canis infernalis trium capitum, Catholicam tunc vexabat Ecclesiam, clamauit & dixit: Ego in Deum verum credo, & ipsum adoro in substantia vnum, in personis trinum, creatorem totius mundi atque gubernatorem, initium & finem non habentem: cuius regnum incorruptum permanet in sempiternum. Credo vnigenitum Dei patris omnipotentis filium, patri consubstantialem, coæternum atque coæqualem; spiritus sancto operante in Maria Virgine conceptum; verum hominem sine virginitatis corruptione ex ea natum; sub Pontio Pilato crucifixum: à mortuis tertia die resuscitatum; in cælos receptū: in die iudicij viuos ac mortuos iudicaturum; & vnicuique secundum opera sua redditurum.

*Egregia vox
martyrii.*

*Confessio
martyrii.*

Et quidem cum initio orationis, impetratis, vt diximus inducijs, lachrymarum riuuli ab oculis manarent; Iulianus cæteri que, qui aderant, demonum cultores, diuinæ gratiæ prorsus ignari, cordis eius & fidei asseribebant infirmitati: ideoque haud dubiam sibi victoriæ spem Tyrannus proponebat. At verò vt admirandam illam confessionis audiuit vocem; iratus latam iam antè capitis sententiam confirmauit, deridendo dicens: Videbo si Christus tuus liberet te, & ad istum sepulchri tui, quem elegisti, locum perducet. Hoc autem iocando

*Falsa infidelium opinio
de S. Eliphio.*

Q 5

impius

impius proferebat ; quòd cum omni honore sepulchri indignum iudicaret . Sed Christus Dominus gloriam suam, in magnam scelerati Imperatoris confusionem , manifestare dignatus est.

*Truncum
corpus eius,
caput ad lo-
cum sepultu-
re defert.*

Nam simulac capite truncatus est martyr, corpus sese erexit, & ambabus amplexum manibus caput, per vnum milliare, comitantibus utique Angelis, & Christum collaudantibus, deportauit : atque ita sine vlla offensione ad montem peruenit. Quem deindè subiens, super lapidem colore album, & situ planum, sese reposuit: qui lapis pio martyri officiosè cedes, instar mollis ceræ, concuum ei subsellium, secuturis memorabile seculis, præbuit. Undè hactenus mons ille à S. Eliphio nomen obtinet. Est autem inter Frumentosam & Grandem medius; ab vtraque, millibus distans senis. Interea complures infirmi, diuersis languoribus afflicti, passionem gloriosi martyris venerantes, & Christi nomen in ea collaudantes, meritis ipsius sanitati redditi sunt. Hæc videntes pij lætati sunt ; impij zelo maligno zelati ; & orta inter vtrosque pugna, fideles martyris magnifici meritis adiuti, & Christo donante, victis infidelibus gloriosam victoriam adepti, extinctorum corpora paganorū in proximum flumen proiecerunt. Peregit autem hoc præclarum certamen martyrij Eliphius, in prato amæno, in ripa fluuioli, Vera nomine, sive, decimo septimo Kal. Nouemb.

*Miraculum
aliud.*

*Mons S.
Eliphij.*

*Claret mira-
culis post o-
bitum.*